

Quaestio II

An imago divinae Trinitatis reperiatur in homine?

Imago sanctissimae Trinitatis in intellectu, memoria et voluntate reperitur, eoque potissimum, quando Animae actus praedictarum virium in obiectum aeternum, quod est Deus, toto mentis affectu protendit. Verum cum vires ipsius ab ea re absoluta different, imago in eis reperta habitibus nobilibus decorator sicut ingnobilibus deturpatur.

UTRUM imago trinitatis divinae reperiatur in homine. Et videtur quod non, quia in homine non reperitur imago divinae infinitatis, sive immensitatis, ergo nec divinae trinitatis. Antecedens patet. Consequentiam probo, quia cum infinitas Dei possit naturali ratione probari et non trinitas, videtur quod imago infinitatis magis debeat relucere in creaturis quam trinitatis, cum per imaginem suam res proprie cognoscatur. Et confirmatur per Hilarium in libro de Sinodis, ubi ait quod *imago est eius rei, ad quam imaginatur species indifferens, sed una species non potest esse indifferens Dei et hominis*. IN CONTRARIUM est Beatus Augustinus in diversis locis, libro de Trinitate et sermone de imagine. In ista quaestione quattuor sunt videnda. Primo est videndum penes quae imago Dei in homine principaliter attendatur. Secundo, quo modo partes imaginis se habeant ad id, in quo fundantur. Tertio, quomodo habeant ad se mutuo. Et quarto, ex praedictis infertur quoddam corrolarium de intellectu agente.

QUANTUM ad primum dico cum Beato Augustino 14 De Trinitate,¹ quod *in potiori parte animae requirenda est imago*. Potior autem pars animae est portio superior, secundum quam homo cuncta terrena transcendit. Ergo, secundum vires abstractas, quibus homo singulariter est praeditus prae cunctis ceteris animantibus, est attendenda imago sanctissimae trinitatis, ad cuius evidentiam est advertendum, quod, ut ait Augustinus 14 De Trinitate, *Imago potius est in nobis cum actu intelligimus, quam cum habitu intelligimus*. Actu autem intelligere non possumus, nisi speciem intelligibilem habeamus, ergo oportet nos ponere virtutem huiusmodi speciem conservantem, quae dicitur memoria. Species autem in memoria sunt quasi absconditae, et revelantur cum actualiter intelligimus, et de ipsis formatur intelligentia actualis, ut dicit Augustinus 14 De Trinitate. Oportet ergo dare intellectum actu potentem intelligere. Item, quia intellectus in tali actu non potest se conservare, nisi adsit intentio voluntatis copulans prolem genitam in actuali intelligentia patenti, puta speciei in memoria existenti, ergo necesse est esse voluntatem. Et sic in anima nostra habemus tres vires, scilicet memoriam, intellectum, et voluntatem, penes tria iam dicta distincta officia, in quibus consistit imago sanctissimae trinitatis, quae quidem potentiae, si nudae sumuntur secundum se, non connotatis actibus, tunc imago sanctae trinitatis in ipsis figuratur quoddammodo imperfecte ad modum corporalis imaginis per debita lineamenta dispositae, non tamen coloratae. Et sic ait Augustinus 14 De Trinitate² quod imago nunquam tollitur. Si autem praedictae vires cum actibus debite sibi congruentibus concernuntur, tunc imago praedicta quasi debite coloratur, et secundum hoc semper magis, vel minus pulchrificatur, secundum quod anima nobilioribus, vel minus nobilibus actibus tendit in obiecta nobiliora, vel minus nobilia. Et [106b] * ideo cum anima rationalis sit nobilior omnibus rebus corporalibus, Deus autem est nobilior ipsa anima, ideo imago trinitatis nobilior est in anima cum meminit, intelligit et diligit seipsam, quam cum actus praedictos elicit respectu inferiorum creaturarum et iam dicta imago est nobilissima et perfectissima, cum secundum praedictos actus toto mentis fervore anima tendit in obiectum aeternum, quod est Deus ipse, spretis omnibus, quae sunt citra ipsum Deum. Quibus bene

¹ Artic. 1 cap. 8 tom. 3

² Cap. 4 tom. 3

intellectis, clare videre possumus causam diversitatis in dictis Augustini, quibus quandoque concedit imaginem trinitatis absolute esse in anima rationali, quandoque cum actu intelligit, licet quaecunque intelligat, quandoque cum intelligit seipsam, quandoque cum solum actus praedictos elicit circa ipsum Deum, iuxta quod idem Augustinus ait 14 De Trinitate³ quod *imago Dei est in mente, non quia sui meminit, se intelligit et amat, sed quia potest Deum, a quo facta est, meminisse, amare et intelligere.*

QUANTUM ad secundum principale dicendum quod praedictae partes imaginis differunt a suo fundamento, scilicet ab essentia animae realiter realitate absoluta. Et hanc conclusionem probat venerabilis doctor frater Aegidius sic.⁴ Impossibile operationem immanentem et non permanentem immediate fluere, sive procedere a substantia incorruptibili et permanente. Sed intelligere et velle sunt operationes immanentes et non permanentes, substantia animae est incorruptibilis et permanens, ergo etc. Et confirmatur, quia in eadem natura ea, quae multum differunt, non fluunt ab ea, nisi mediantibus his, quae minus differunt. Sed operatio praedicta nec est substantia, nec permanens, ergo fluet ab essentia animae mediante potentia, quae, quamvis non sit substantia, est tamen permanens. 2. Praeterea, in Angelo differunt potentia ab essentia, ergo et in homine. Probatur antecedens, quia cum medium non possit magis differre ab extremis, quam extremum ab extremo, et cum intelligere sit medium inter intelligens et intellectum, quando Angelus intelligit essentiam suam, si in eo non differt potentia intellectiva ab essentia intellectiva, suum intelligere esset idem, quod sua essentia. 3. Praeterea, idem, secundum idem esset movens et motum et directe reduceret seipsum de potentia ad actum, quando Angelus intelligeret essentiam suam. 4. Praeterea, id quod habet potestatem super actum immediate fundatum in aliqua essentia, vel natura, illud habet potestatem super omnia alia fundata in ea, et per consequens super ipsam naturam, cum nulla creata natura possit esse sine accidente. Sed phantasma habet potestatem super ipsum intelligere, ergo, si ipsum intelligere immediate sine potentia media fundatur in essentia animae, ipsa natura, vel essentia animae intellectivae erit corruptibilis. SED AD HAS rationes quidam de contraria opinione respondent. Ad maiorem primae rationis dicunt quod vera est loquendo de operatione non permanente, sive fluxibili divisibili, sicut est motus, non autem de indivisibili, sicut est generatio. Licet enim materia subiiciatur motui mediante aliquo accidente permanente, immediate tamen per seipsam subiicitur generationi, sed intelligere est operatio indivisibilis. Ad secundum negant antecedens. Ad probationem dicunt quod vera est de medio compositionis, non autem de medio coniunctionis. Possunt enim duo panni extremi coniungi mediante actu ferreo; nunc autem ita est, quod ipsum intelligere se habet ut medium coniunctionis. Ad tertium dicunt quod hoc non erit secundum idem, quia requiritur ibi species intelligibilis per quam reducitur in actum. Ad quartum dicunt quod actio et passio dicitur aequivoce, prout est in anima intellectiva et in aliis, quia in aliis magis facta abiicit a substantia; in anima autem est falsus et perfectio, et ideo, si phantasma habet potestatem super ipso intelligere, ex hoc non sequitur quod possit animam corrumpere, sed magis sequitur quod possit ipsam salvare et perficere. SED ISTAE solutiones non videntur valere contra rationes praedictas, quia Commentator interimit ea, quae dicit ille doctor ad maiorem primae rationis. Ponit enim expresse in De substantia orbis, quod materia nunquam separatur a dimensionibus, ergo etiam in puncto generationis materia haberet aliquod accidens permanens, puta ipsas dimensiones, a quibus, ut ait Commentator, nunquam totaliter poterit separari. Sed in his, quae dicit ad minorem, negat Aristotelem primo De Anima⁵, ubi dicit quod *intelligere est cum continuo et tempore, et ideo secundum hoc ipsum intelligere non videretur esse totaliter indivisibile.* Sed quicquid sit de his, dico quod iste assumit non simile pro simili, quia materia respectu ipsius generationis est in potentia ad esse, sed potentia

³ Cap. 8 tom. 3

⁴ Aegidius. 3. Quolibet q. 10

⁵ Elicitive tex. c. 47

animae respectu ipsius intelligere est potentia ad operari, licet autem aliquod creatum per essentiam suam possit immediate suscipere esse, nulla tamen substantia creata potest immediate operari, quia substantia nullius operationis potest esse immediatum principium, ut expresse dicit Commentator 7 Metaphysicae.⁶ Licet enim forma substantialis ipsius ignis, vel cuiuscunque alterius rei, sit principium principale, non tamen immediatum. Ignis enim principaliter producit ignem, tamen mediante calore. SED FORTE dices, agens instrumentale non agit, nisi motum ab agente principali, ergo saltem illius motionis, sive influxus substantia erit principium immediatum. RESPONDEO, licet quando principale et instrumentale sunt suppositaliter distincta, necesse sit ipsum principale aliquid motionis influere ipsi instrumentali, sine qua motione instrumentale non tenderet in talem actionem. Dolabra enim nunquam aedificaret, nisi a domificatore moveretur. Tamen, cum principale et instrumentale sunt naturaliter connexa, non oportet talem influxum fieri, quia propter solam naturalem assistentiam ipsius principalis agentis, ipsum instrumentale agit in virtute principalis. Causa autem istius ordinatae connexionis, si quaeritur, dico quod est ipsum generans dans principali virtutem principalem et instrumentali virtutem subordinatam, respectu illius principalis agentis. NEC SECUNDA solutio valet, quia, licet utrumque medium, quod ponis modicum sit ad propositum, si tamen uni illorum debemus assimilare ipsum intelligere, magis assimilabitur medio compositionis, quia, cum ipsum intelligere sit suorum extremorum ad invicem assimilativum, oportet quod participet naturam utriusque extremi obiecti, scilicet et subiecti, et sic distinctio tua directe est contra te. Nec exempla tua valent quicquam in proposito, quia nos loquimur de medio per se, et naturali. Tu autem exemplificas de medio per accidens ac artificiali. NEC TERTIA solutio valet, quia doctor noster arguit de intellectione, qua Angelus intelligit essentiam suam, quam sine media specie intelligit, cum sit naturaliter praesens suo intellectui. NEC QUARTA solutio valet, quia, sicut propositum in proposito, sic oppositum in opposito. Si ergo phantasma illustratum per suam praesentiam esset causa perfectionis fundatae in essentia animae immediate, tunc per suam absentiam erit causa destructionis eiusdem perfectionis, et per consequens destructionis ipsius essentiae, sicut deduxit doctor in sua ratione.⁷ POTES ETIAM praedicta conclusion probari sic. Quaecunque sunt eadem realiter, impossibile est unum essentialiter remanere, altero essentialiter corrupto, sed virtus visiva essentialiter et realiter corrumpitur manente essentia animae incorrupta. Maior patet et singulariter in proposito, cum essentia animae sit incorruptibilis, et corruptibile et incorruptibile differunt genere, ut dicitur 10 Metaphysicae⁸ Minorem probo, quia cum aliquis efficitur cecus, hoc non potest esse propter solam cessationem ab actu videndi, quia sic, qui clauderet oculos fieret cecus, er-[107b]-go oportet quod cecitas contingat propter corruptionem alicuius intrinseci principii visionis, quod principium nos appellamus potentiam visivam. FORTE DICES, quod non corrumpitur potentia visiva, sed corrumpitur papilla, quae est organum illius potentiae, sine qua illa potentia, cum sit organica, non potest suam operationem exercere. HOC NON valet, quia dato quod omnes potentiae sint idem realiter, quod essentia animae, tunc non habes quare una magis sit organica, quam alia, vel una sit magis separata quam alia. Item, potentia organica subiective fundatur in organo, a quo dicitur organica, cum ergo corrupto subiecto corrumpatur omne illud, quod fundatur in eo, ergo corrupta pupilla non poterit talis potentia remanere. 2. Praeterea, si potentiae animae essent realiter idem cum essentia animae, tunc essent idem realiter inter se, falsitas consequentis est nota, quia intellectus differt realiter a voluntate et virtus visiva ab auditiva et sic de singulis. Consequentia patet I Physicorum⁹, ubi dicitur: *Quae uni, et eidem sunt eadem, inter se sunt eadem*. SED FORTE ALIQUI contrariae opinionis dicerent, illud consequens non esse falsum. IDEO PROBO illam falsitatem per aliam

⁶ Com. 31

⁷ Confirmatur conclusio Aegidii I

⁸ Tex. c. 26

⁹ Tex. c. 17

consequentiam sic. Si potentiae non differrent realiter, operationes potentiarum non differrent realiter. Falsitatem istius consequentis ipsi negare non possunt, quia videre non est audire, nec intelligere est velle et sic de aliis. Consequentiam probo, quia dicitur 2 De anima¹⁰ quod opinativum differt ab intellectivo, quia opinari differt ab intelligere, sic a simili, etc. 3. Praeterea, impossibile est operationes genere differentes esse ab uno creato principio immediate. Sed operationes appetitivae et cognitivae differunt genere. Maior patet, quia, sicut ait Aristoteles 3 Physicorum¹¹, *si potentia sanandi et potentia aegrotandi sunt idem, tunc sanari et aegrotari erunt idem*. 4. Praeterea, ea, quae sunt in secunda specie qualitatis, differunt realiter ab essentia animae, cum illa sint accidentia absoluta, essentia autem animae sit substantia, sed omnes potentiae animae, tam activae, quam passivae sunt in secunda specie qualitatis. 5. Praeterea, si potentiae animae essent idem realiter quod essential, tunc unum indivisibile fundamentum creatum fundaret simul oppositas relationes, quod est proprium solius essentiae divinae, cui hoc potest convenire ratione suae illimitationis infinitae. Consequentiam probo, quia potentiarum animae quaedam sunt activae, quaedam passivae; activum autem et passivum fundant oppositas relationes. Item, cum una potentia moveat aliam, idem esset motivum sui ipsius. ISTAM AUTEM eandem conclusionem probat doctor communis quinque rationibus, quae, quamvis legitime possint improbari, adducam tamen eas et recitabo instantias contra eas gratia exercitii. Arguit enim primo sic. Si anima esset immediatum principium operandi, semper habens animam, semper operaretur opera vitae, quae sunt intelligere et velle, quia, sicut habens animam actualiter vivit, sic etc. 2. Praeterea, sicut se habet essentia ad esse, sic se habet potentia ad agree. Ergo permutatim, sic se habebit essentia ad potentiam, sicut se habet esse ad agree. Sed in nulla creatura esse est idem quod agere, ergo nec potentia erit idem quod potentia. 3. Praeterea, diversitas actuum arguit diversitatem potentiarum. Sicut enim videmus quod quia ignis calefacit et tendit sursum, oportet quod distincta istorum actuum habeat principia, puta caliditatem et lenitatem. Sed intelligere et velle differunt realiter, ergo etc. 4. Praeterea, immediatum principium producendi oportet esse proportionatum effectui product, quia in tali principio producens assimiliat sibi productum. Cum ergo intelligere sit accidens, immediatum principium productivum sui etiam erit accidens. 5. Praeterea, actus et potentia sunt in eodem genere, sed actus intelligendi * et volendi sunt accidentia, ergo potentiae eorum erunt accidentia. [108a] 6. * Praeterea, quidam alter confirmat dictam conclusionem sic. Illud, quod de se non dicit ordinem ad actum, sed est indifferens ac diversos actus, oportet quod per aliquid determinetur, si aliquem istorum actuum determinate debet principiari. Sed essentia animae est indifferens ad quemlibet suorum actuum, ergo illud, quo determinatur ad distinctos actus suos, hoc vocamus potentiam. SED LICET conclusio sit verissima. Ista tamen media multipliciter possunt improbari. Quantum enim ad primum neganda est consequentia, quia si consequentia esset bona, sequitur etiam contra nos quod semper habens intellectum semper intelligeret. Nec etiam illud, quod inferunt de esse vivo est simile, quia vivere respectu intelligere est actus primus, quia vivere viventibus est esse, ut dicitur in 2 De anima¹². Sed stante actu primo, actus secundus multipliciter potest impediri propter hoc, quod plura requirit actus secundus, quam actus primus, quorum quocunque deficiente, deficit talis actus. Ad secundum posset breviter dici quod commutata proportio non concludit necessario, nisi cum proportio sumitur in terminis quantitativis. Isti autem termini nec sunt quantitativi, nec sumuntur quantitative. Vel potest dici quod prima proportio est vera, quantum ad quandam naturalem coexigentiam, puta, sicut impossibile est quod sit esse sine essentia, ita impossibile est quod sit operari sine potential, et tunc sic concessa proportione in commutando committitur fallacia figurae dictionis. Quia mutatur coexigentia in differentiam, unde, si uniformis observetur processus, bene concludetur, puta facta terminorum commutatione, tunc ex praecedentibus sic debet inferri. Sed impossibile

¹⁰ Elicitive ex tex. c. 153

¹¹ Tex. c. 10

¹² Tex. c. 37

est esse potentiam sine essentia, ergo impossibile est operari esse sine esse. FORTE DICES, si potentia praesupponit essentiam, ergo differt ab ea. SI ESSEM CONTRARIAE opinionis, dicerem quod idem potest seipsum supponere, sub alia tamen ratione. Ad tertium dicendum quod, licet illa inter ceteras sit efficacior, tamen volens fugere, potest dicere quod, sicut agens aequivocum, puta sol per unam et eandem virtutem inducit aliam et aliam formam, secundum aliam et aliam dispositionem principia susceptive, sic una et eadem anima, cum sit principium aequivocum respectu suarum operationum, ad praesentiam obiectorum aliarum et aliarum rationum poterit actus elicere non solum differentes specie, verum etiam genere, si rationes obiectorum fuerint genere differentes. Huiusmodi enim actus et operationes non capiunt speciem et distinctionem ex subiectis, sed ex obiectis sumptis secundum rationes obiectales. Ad quartum dicendum quod illa proportio assimilationis non habet locum in productionibus aequivocis, quia nigredo quandoque fit a calore, quandoque a frigore; et calor quandoque ab igne, quandoque a motu, ut ait Commentator 2 Caeli et mundi.¹³ Et subdit ibidem quod *non omne, quod fit, fit a sibi simili in specie, vel genere, nisi solum in generatione substantiarum univoca*. Sed in proposito non est generatio univoca, cum actus non sit eiusdem speciei cum potentia. Ad quintum dicendum quod ibi committitur fallacia aequivocationis, quia duplex est potential: una a qua itur in actum, sive quae sit actus, sicut homo in potentia sit homo in actu, et de illa potentia vera est maior. Alia est potentia quae elicit actum, et de illa concludit argumentum et per consequens mutatur medium. Item argumentum potest duci contra doctorem, quia secundum eum, potentia est quidam actus essentiae, et per consequens essentia habet rationem perfectibilis potentiae respectu talis actus, qui dicitur potentia. Si igitur potentia semper est in eodem genere cum actu, ille actus, quem appellamus potentiam, erit in eodem genere cum essentia animae, et per consequens non erit accidens, sed substantia. Ad sextum adiunctum per alium doctorem potest dici quod ad actus specie, vel genere differentes anima determinatur secundum rationes obiectales specie, vel genere differentes. Et licet aliquae meae rationes sine tactae per solutiones, quas adduxi contra rationes illorum doctorum, tamen adhuc manent inconcussae propter varias declarationes et probationes, quibus sunt fulcitae. Nec reputo has solutiones semper necessarias, nec in omnibus simpliciter veras, et maxime ubi dictis meis primis in aliquo obviarent, et ideo dixi quod huiusmodi instantias vellem adducere gratia exercitii. SED CONTRA supradictam veritatem conclusam sunt variae doctorum opiniones. Primo enim sunt quidam dicentes quod potentiae animae sunt idem realiter cum essentia animae, differunt tamen formaliter inter se, sicut partes virtuales existentes in eodem toto. Dicunt enim animam esse quoddam totum potestativum contentivum plurium, quae tamen omnia realiter sibi identificantur. Quod primo probant auctoritate Anselmi in libro de Concordia et Praedestinatione¹⁴, ubi ait: *non est autem ratio vel voluntas tota anima, sed unaquaeque est aliquid animae*. 2. Item 2 De anima dicitur quod *destructo visu, non manet oculus, nisi aequivoce, sed planum est quod ad remotionem accidentis substantia manens non dicitur aequivoce manere, ergo visus erit essentia, vel substantia animae, quamvis non tota*. 3. Item Lincon. in commento super librum *De Divinis Nominibus* ait quod *eadem forma substantialis dicitur forma in ordine ad naturam, et dicitur virtus in comparatione ad actum*. ALII AD IDEM sic. Sicut ex parte obiecti idem secundum rem solum differens penes rationes formales obicitur ipsi animae secundum diversas eius potentias, puta ens verum et bonum. Eadem enim res, quae secundum se considerata dicitur ens, in ordine ad intellectum dicitur verum, et in ordine ad voluntatem dicitur bonum. Sic eadem anima in se considerata dicitur essentia, prout est apta nata moveri a vero sub ratione veri, dicitur intellectus, pro ut est nata inclinari ad bonum, dicitur voluntas. Et hanc dicunt esse intentionem Avicennae 6 Naturalium. Rationes illorum ad praesens non potui invenire, possum tamen si placet pro ipsis sic arguere. Si essentia animae non esset sua potentia, tunc essentia esset in potentia ad talem potentiam, vel ergo essentia est

¹³ Comm.. 42

¹⁴ Cap. 3

eadem realiter cum ista potentia secundo dicta, vel non. Si sic, tunc eadem ratione potuit esse eadem cum prima potentia. Si non, tunc processus est in infinitum. Prima propositio patet, quia quicquid est in subiecto realiter differens ab eo, respectu illius dicitur fore in potentia. 2. Praeterea, secundum Philosophum in Praedicamentis, proprium est substantiae secundum sui mutationem esse susceptivum contrariorum. Sed intellectus et voluntas suscipiunt contraria, ergo erunt substantia ipsius animae. 3. Praeterea, sicut materia est in potentia ad sensibiles formas, sic anima intellectiva ad intelligibiles formas. Sed materia est essentialiter sua potentia, ut patet per Commentatorem in De substantia orbis, ergo etc. SED ILLA opinio stare non potest, quia, sicut ait Bernardus super Cant. solius Dei proprium est, idem esse essentiam et potentiam, ergo etc. AD PRIMAM auctoritatem dicendum quod unaquaeque potentiarum illarum est aliquid animae, quia est quaedam naturalis proprietas animae. Ad secundum dicendum quod, destructo visu, oculus manet aequivoce, prout est instrumentum videndi et ad hoc sufficit quod destruat illa qualitas fundata in oculo, ratione cuius habuit virtutem visivam. Non tamen manet aequivoce prout est pars carnis humanae, quia etiam cecus oculus habere potest vitam, quam etiam prius habuit per animam, quae est totius corporis forma substantialis. Unde puto, si cecus pungeretur in oculo, haberet sensum tactus, quod huiusmodi laesionem sentiret, quod esse non posset, nisi illa pars animata esset anima sensitiva. Ad tertium dicendum quod anima respectu operationis dicitur virtus, non immedie-[109a]-diante exequens, sed est virtus principalis. AD ILLUD autem, quod illi alii addunt dicendum quod non est simile, quia, cum nihil intelligit intellectus, in quod voluntas non feratur, nec aliquid velit voluntas, quod intellectus non intelligat, oportet quod obiectum voluntatis et intellectus coincident secundum realem identitatem, quamvis differant secundum rationes obiectales. Sed sic esse non potest ex parte potentiarum, prout in 2 libro patebit. Ad dictum Avicennae dicendum quod Avicenna intendit dicere quod anima est radicabile et principale principium omnium actuum immediate elicitorum a quibuscunque potentiis suis, sicut etiam ait Philosophus 2 De anima, quod *anima est quo primo vivimus, sentimus et intelligimus*, non tamen per hoc intendit ab ipsa animae essentia excludere distinctionem realem immediatorum principiorum. AD PRIMAM rationem dicendum quod, licet anima per essentiam suam et non per aliquid aliud sit subiectum potentiae intellectivae ac volitivae, non tamen potuit immediate subiici ipsi actui, ut superius fuit probatum. Nec est similis comparatio ipsius ad potentiam, quae est in potentia ad potentiam, quae est quaedam passio permanens in essentia animae et eiusdem animae ad potentiam, quae est immediate in potentia ad actum, qui est quid transiens sive non permanens in ipsa anima. Alias sic invenitur. Ad primam rationem dicendum quod non est similis comparatio essentiae animae ad potentiam, qua subest suis potentiis, quae sunt suae propriae passionis et eiusdem essentiae ad huiusmodi potentias, mediantibus quibus elicit suas operationes. Quia, licet substantia sit immediatum subiectum suae propriae passionis, tamen non potest esse immediatum principium suae operationis. Et ideo, licet prima potentia sit idem quod esse animae, aliae tamen potentiae differunt ab essentia animae. Sicut quamvis substantia sit realiter indistincta sua potentia receptiva, tamen realiter est distincta a* sua potentia operativa. Ad secundum dicendum quod non oportet substantiam immediate suscipere quaecunque contraria; suscipit enim album et nigrum mediante alio accidente, puta mediante quantitate, nec posset sine quantitate recipere, sic etc. Ad tertium dicendum quod non est simile de potentia receptiva et potentia activa. Quia, licet substantia possit immediate suscipere, non tamen potest immediate agere. Etiam equivocatur de potentia materiae, ut patebit in secundo libro, ubi illam sententiam specialiter tractare propono. EST ETIAM alia opinio opinioni iam dictae satis vicina, quae dicit quod potentiae animae sunt proprietates ipsi animae consubstantiales, emanantes immediate ab essentia animae, quae eo ipso, quod emanant ab anima, non sunt ipsa anima, tamen, quia immediate emanant ab ipsa, non declinant in aliud genus, sed sunt in eodem genere cum ipsa anima, tamen per reductionem, ita quod nec sunt idem omnino per essentiam, nec tantum differunt, quod sint alterius generis. SED NEC illa opinio stare potest, quia ea, quae

manant naturaliter a subiecto, sunt accidentia et per consequens esse non possunt in genere substantiae, sive in eodem genere cum substantia. 2. Praeterea, quaecunque naturaliter manant ab eodem subiecto, sic naturali ordine manant, quod secundum procedit mediante primo et tertium mediante secundo. Si ergo propter hoc, quod immediate manant ab essentia, tu dicis eas esse in eodem genere cum essentia, tunc quia una sola scilicet prima manat immediate de essentia, illa sola esset in eodem genere cum essentia; aliae autem omnes declinarent in aliud genus, cuius oppositum tu intendis. 3. Praeterea, cum dicis quod potentiae sint consubstantiales essentiae, vel sumis substantiale secundum primum modum dicendi per se, vel penes secundum. Si penes primum, tunc erunt idem realiter cum essentia, et sic omnes rationes superius assignatae erunt contra istum doctorem. Si penes secundum, tunc differunt realiter ab ea, ergo etc. [109b]* 4. Praeterea, omne quod est, vel est substantia vel accidens. Illa patet per Simplicium super Praedicamenta ubi ait¹⁵ quod *quaecunque non sunt substantiae, sunt accidentia*, et Avicenna 2 Metaphysicae sic ait: *Prima divisio entis, vel est substantia, vel accidens*. Et patet in libro De ortu sententiarum, ubi dicitur: *Scias nihil esse praeter substantiam et accidens et creatorem utriusque*. Ergo, ille potentiae animae vel sunt accidentia, et tunc non poterunt esse in praedicamento substantiae, vel sunt substantiae, et tunc, vel erunt substantia, quae est essentia animae, et tunc essent ipsa anima, cuius oppositum tu dicis, vel sunt alia substantia, et tunc in eadem anima erunt plures substantiae realiter distinctae, quod est inconueniens, ergo etc. ET IDEO EST alia opinio¹⁶, quae ponit quod potentiae sunt idem realiter cum essentia animae, nec addunt aliquid super essentiam, nisi solum respectum ad actum, puta voluntas est essentia animae et dicitur potentia ex respectu, quem habet ad actum volendi et sic de aliis. Et isti cum suis sequacibus habent multas rationes. Arguunt enim sic. Illo modo, quo magis conformiter et proprie poterimus salvare imaginem Sanctae Trinitatis in nobis, eo modo debemus ponere potentias animae respectu essentiae, sed ponendo eas esse idem re absoluta et differre respectibus, magis salvamus rationem praedictae imaginis, ergo etc. 2. Praeterea, id, quod est nobilissimum in toto regno animae, hoc pertinent ad substantiam, sive essentiam animae. Quia, si tale quid esset accidens, tunc accidens esset dignius et nobilius substantia. Sed libertas, quae est idem quod voluntas, est nobilius in toto regno animae, ergo etc. 3. Praeterea, actus et* potentia sunt differentiae entis. Sed actus nihil addit super ipsum ens, ergo nec potentia.¹⁷ 4. Praeterea, substantialis differentia non potest sumi ab accidente. Sed rationale et sensibile, quae sumuntur a sensu et a ratione, sive intellectu, sunt differentiae substantiales, ut patet in Porphyrio, ergo potentia sensitiva et intellectiva non poterunt esse accidentia, et per consequens erunt essentia animae. 5. Praeterea, dicit Beatus Augustinus 11 De Civitate Dei¹⁸, quod *potentiae non sunt in anima, sicut accidens in subiecto, ut color aut figura in corpora, aut ulla alia qualitas, sed si essent accidentia*, etc. 6. Praeterea, beatitudo consistit in hoc, quod anima attingit Deum cognoscendo et amando immediate. Sed, si voluntas et intellectus differrent ab anima realiter, tunc non posset immediate attingere Deum, ergo etc. 7. Praeterea, secundum quod aliquid est supra se conversivum, sic competit sibi intelligere. Sed anima secundum essentiam suam est supra se conversiva, ergo etc. 8. Praeterea, partes vestigii nihil addunt supra illud, in quo fundantur, ergo nec partes imaginis. Consequentia patet, quia imago non est magis composita, vel minus simplex quam vestigium. Probatur antecedens, quia cum vestigium inveniatur in omni creatura, illud additum esset vestigium, et eadem ratione partes illius vestigii adderent aliquid super vestigium, et sic in infinitum. 9. Praeterea, omnis forma, quae est principium alicuius operationis vel actionis in supposito, si separaretur, ita quod per se haberet esse, per se eliceret huiusmodi actum. Sed Deus potest omne accidens absolutum a suo subiecto separare, ergo, si intellectus esset accidens realiter distinctum ab anima, Deus ipsum

¹⁵ Elicitive ex 5. Met. tex. c. 15

¹⁶ Henricus de Gandavo

¹⁷ Aver. De anima com. 6

¹⁸ Cap. 10 tom. 5

posset separare, et separatus sic intellectus posset intelligere, et per consequens accidens sine substantia posset beatificari. 10. Praeterea, materia est sua potentia passiva, ergo substantialis forma debet esse sua potentia active. Consequentia patet, quia, sicut se habet materia ad pati, sic se habet forma ad agere. Si enim materia non transmutaretur et pateretur secundum suam essentiam, et forma non ageret secundum suam essentiam, non diceret Commentator¹⁹, *transmutatio fecit scire materiam, actio vero formam*. 11. Praeterea, si potentiae animae non essent idem quod essentia, hoc maxime esset pro [110a]* tanto, quia forma substantialis non posset esse immediatum principium actionis, sed illud non obstat, ut isti probant multipliciter. Primo sic. Forma accidentalis potest immediate agere, ergo substantialis. Antecedens patet de calore et ceteris accidentibus. Probatur consequentia, quia accidentia non sunt entia, nisi quia sunt entis, hoc est substantiae, ergo quicquid est virtutis et perfectionis in formis accidentalibus, peramplius debet relucere in substantialibus. 2. Praeterea, secundum Philosophum, *idem est principium essendi et operandi, sed forma substantialis est immediatum principium essendi*, ergo etc. operandi. 3. Praeterea, operatio vitalis est a principio vitali, sed intelligere et velle sunt operationes vitales et sola essentia animae est principium vitale. 4. Praeterea, sicut iam dictum est, materia immediate patitur, ergo forma per se, et primo perficiens materiam immediate agit, iuxta illud 2 De generatione,²⁰ *Formae est agere, pati vero alterius potentiae*. 5. Praeterea, illud est immediatum et proprium principium actionis, in quo agens assimiliat sibi productum. Sed in forma substantiali attenditur specifica assimilatio. Et confirmatur, quia si hoc esset forma accidentalis, illa ageret ultra suam speciem. 6. Praeterea, forma substantialis potest immediate actum in se recipere, ergo poterit immediate actum ex se elicere. Antecedens patet, quia, si acciperet accidens suum mediante alio accidente, esse processus in infinitum. Consequentia probatur, quia enti perfectiori magis debet attribui illud, quod est perfectae conditionis, quam illud, quod est imperfectae. Sed actum elicere est perfectius quam actum recipere. 7. Praeterea, natura est principium motus et quietis, eius in quo est per se, et non secundum accidens, ut dicitur 2 Physicorum. Sed natura principaliter dicitur de forma, ut ibidem patet, ergo etc. 8. Praeterea, Commentator in De substantia orbis ait, *qui tollit a * re propriam operationem eius, tollit essentiam eius, ergo cum forma substantialis sit vera res, non debet ab ipsa negari operatio propria*. INSUPER PROBANT ipsi conclusionem principalem auctoritatibus. Dicit enim Beatus Augustinus 10 De Trinitate quod *memoria, voluntas et intelligentia sunt una vita, una mens, una natura*. Et in libro De Spiritu et anima dicitur de potentiis animae in ordine ad essentiam, *Naturales siquidem sunt ei, nec aliud sunt quam ipsa tota videt, tota visorum meminit, tota audit et sonorum reminiscitur, tota odorat et tota sapores sentit, tota tangit, tota simul approbat et improbat, tota est voluntas et haec omnia adiuncta sunt animae, ut una res sit, sed officiis multiplex*. SED NEC ILLA opinio continent veritatem, quia illud, quod est immediatum principium actionis, nos appellamus potentiam, sed relatio non potest esse principium, nec terminus actionis, ut patet 5 Physicorum²¹, ergo potentiae animae non possunt esse respectus. 2. Praeterea, dato quod essent respectus, cum quaedam animae potentiae sint activae, ut patet de intellectu agente, quaedam passivae, ut patet de intellectu possibili, sequitur illud impossibile, quod respectus oppositi activi et passivi fundentur simul in eodem indivisibili fundamento, quod sola fide tenemus esse possibile in ipsa divina essentia, vel, si qua ratione deberemus hoc sustinere, oporteret huiusmodi rationem fundari in divinae essentiae infinitate, quae infinitas animae rationali non convenit, cum ipsa sit creata et per consequens limitata. AD PRIMUM igitur dicendum, quod maior est vera, salva semper possibilitate et veritate. Sed illud est impossibile, ut iam declaravi, propter quod ait Beatus Augustinus²², quod *maior est dissimilitudo, quam similitudo inter imaginem creatam et increatam trinitatem*, quod forte

¹⁹ 4. Phys. com. 38 et I Phys. com. 63 et com. ult. 2. ph.

²⁰ Tex. c. 53

²¹ Tex. c. 10

²² 15. De Trin. cap. 20 tom. 3

protanto dixit, quod haec fundatur in rebus absolutis, illa autem existit in relatis. Ad [110b]* secundum dicendum, quod dato quod libertas voluntatis sit nobilior omnibus aliis animae proprietatibus, comparata tamen ad animae essentiam, non est nobilior, cum causa sit praestantior effectui. Ipsa autem libertas et causaliter et originaliter manat ab essentia. Ad tertium dicendum quod, licet actus non addat super ens in communi, quia tale additum esset nihil, cum illud, quod additur alteri, formaliter non sit ipsum, ergo tale additum esset non ens. Sed actus bene addit, ut invenitur in ente speciali, aequivocatur etiam de potential, quia argumentum procedit de potentia ad esse, nos autem loquimur de potentia ad agere. Ad quartum dicendum quod ratio et sensus possunt dupliciter sumi. Uno modo, prout ratio dicit animam rationalem et sensus animam sensitivam. Alio modo, prout ratio dicit potentiam rationalem, puta intellectum, et sensus potentiam sensitivam. Primo modo ab ipsis sumuntur differentiae substantiales, non autem secundo modo. Ad quintum dicendum quod accidens uno modo sumitur stricte, et sic propria passio distinguitur contra accidens. Alio modo large, et sic etiam propria passio dicitur accidens, isto enim modo omne, quod non est substantia, est accidens. Et quia potentiae animae sunt quaedam proprietates, sive propriae passionis animae, ideo primo modo, scilicet stricte loquens de accidente, Augustinus negat potentias animae esse accidentia. Ad sextum dicendum quod, cum potentiae animae sint ipsi animae totaliter connaturales, ideo quicquid anima attingit mediante sua potentia, hoc dicitur immediate attingere, sicut enim illud, quod videt homo mediante suo visu, hoc dicitur immediate videre, eo quod visus sit sibi connaturalis, sic etc. Ad septimum dicendum, secundum quod aliquid est supra se conversivum, sic competit sibi ut sit principium actus intelligendi vel immediate, vel principaliter, puta si est potentia, competit sibi immediate, si est substantia competit sibi principaliter, quamvis non immediate. Etiam non oportet quod tale quid intelligat, nisi ipsum esset separatum et per se existens; si autem est coniunctum magnitudini non proprie intelligit, sed est ratio sive principium intelligendi. Propter quod dicitur primo De anima,²³ *si quis dixerit animam intelligere, dicit eam texere vel aedificare, cuius ratio esse potest, quia per se agere praesupponit per se esse, ergo quamdiu anima non habet per se esse, non habebit per se agere.* Ad octavum dicendum quod non est simile de partibus vestigii et partibus imaginis, quia partes vestigii sumuntur penes quaedam communia, quae omne ens simpliciter consequuntur, et ideo nec differunt a suo fundamento, nec inter se, nisi sola ratione, sicut ergo loquimur de bono et vero et ceteris consimilibus, quae totum ens consequuntur, sic loquendum est de partibus vestigii, cum ipse in ente universaliter reperiantur; partes autem imaginis consequuntur naturam specialem et ideo tam a se invicem quam a suo fundamento poterunt differre realiter. Ad nonum diceret Doctor noster quod intellectus nullo modo potest separari ab essentia animae, quia in secundo suo super Sententias distinctione 19, quaestione 2 expresse dicit quod *qualitates ab omni subiecto separari implicat contradictionem.* De hoc tamen ad praesens non curo, quia alibi forte oppositum tenebo ad honorem divinae omnipotentiae, quam metiri nequimus. QUIDAM ALTER Doctor dicit²⁴ quod, *si separaretur non intelligeret, sicut Diaphanum coniunctum quantitati est ratio recipiendi lumen, si tamen a quantitate separaretur non posset lumen recipere.* SED ILLUD non valet; quia lumen non est aptum natum recipi, nisi in re divisibili, et ideo in separato a quanto non recipitur. Hoc autem in proposito non obstat, cum intelligere sit accidens indivisibile, et ideo, quamvis sit actus manens in elicente, posset intellectus separa-[111a]-tus ipsum elicere, nisi aliud obstat. Dato igitur quod Deus intellectum ab essentia animae separaret, et dato quod talis intellectus separatus intelligeret, dico quod adhuc non esset beatus, proprie loquendo de beatitudine, quia non esset ibi fruitio et perfectae dilectionis complacentia, sine qua non potest esse, proprie loquendo, beatitudo. Quia fruitio et complacentia sunt proprii actus voluntatis, hic autem intellectus esset separatus a voluntate. SED FORTE dices, dato quod Deus separet intellectum cum voluntate, utrum tunc talis

²³ Tex. c. 64

²⁴ Durandus

intellectus esset beatus. DICO QUOD non, quia eo ipso quod essent separata ab essentia et non haberent subiectum commune, in quo coniungerentur, ideo actus unius potentiae in nullo posset alteri cooperari, ita quod complacentia voluntatis in nullo causaret, aut augeter delectationem intellectus, nec speculatio intellectus quantum ad ostensionem obiecti diligibilis in nullo posset cooperari dilectioni voluntatis, et hoc stante illa hypothese (ypostasi – *man.* 1490) quod essent penitus separata a subiecto et nullum haberent subiectum commune. Ad decimum dicendum quod, sicut non quaelibet res materialis est sua potentia passive, sed sola prima materia, sic etiam non quilibet actus substantialis, vel quaelibet forma substantialis est sua potentia activa, sed solus primus et purus actus, sive prima substantia, quae est ipse Deus. Ad dictum Commentatoris dico quod, quamvis transmutatio faciat nos scire, quod aliqua forma citra Deum sit purus actus, et ideo licet in aliquo sit simile, in illo tamen, quod ratio concludit, non est simile. Ad undecimum, nego minorem. Ad probationem primam dico quod forma substantialis est principium agendi principale; accidentalis autem est principium immediatum, nulla enim substantia creata est principium agendi immediatum ut patet 7 Metaphysicae expresse per Commentatorem²⁵, et idem patet per Philosophum in libro De sensu et sensato, ubi sic ait: *Ignis et terra et quodcunque aliud secundum id, quod est essentialiter, non est natum agere vel pati, sed secundum quod habent contrarietatem.* Ad probationem dico quod, licet simul agere et principaliter et immediate sit maioris perfectionis, hoc tamen proprie in nulla creatura reperitur sed in solo creatore. Quia in creaturis substantia agit mediante accidente et ideo non immediate et accidens; agit in virtute substantiae, et ideo non principaliter. Dato igitur quod simul non concurrant in eodem, sed necessario sumantur distincte, tunc agere principaliter est multo maioris perfectionis quam agere immediate. SED FORTE dices, accidentia in sacramento altaris sine subiecto subsistunt, et tamen agunt immediate et per consequens concurrunt in eodem creato agere immediate, et agere principaliter, cum nullum sit subiectum virtute cuius agat. RESPONDEO quod non minus agit in virtute substantantis, cum separatum est a subiecto, quam prius, quia, sicut singulariter a Deo sustentatur, sic specialiter virtute Dei agit. Posset etiam dici, quod tale accidens cum separatur in suis naturalibus, in nullo penitus corrumpitur, aut mutatur; et ideo separatur cum illa virtute, quam habuit prius ex illa naturali, coniunctione cum subiecto. Sicut igitur semen animalis ab eo decedens dicitur generare non in virtute propria, sed in virtute illius animalis, a quo decedens est, dato etiam quod tale animal sit corruptum, sic tale accidens, quamvis sit separatum, agit in virtute illius subiecti, in cuius virtute competeat sibi agere, quando coniunctum erat. Exemplum etiam de gravi, quod Philosophus 8 Physicorum²⁶ dicit *se deorsum movere in virtute generantis, quod tamen grave suo generanti pro tunc quando se movet non apparet esse coniunctum, quia generans potest esse corruptum.* Ad secundam probationem dicendum quod illud, quod dat immediate esse substantiale, cum sit substantia, non debet immediate [111b]* agere sed principaliter, ut iam patuit. Ad tertium dicendum quod tam intellectus, quam etiam voluntas potest dici principium vitale, eo quod immediate fundatur in essentia animae, quae principaliter dicitur principium vitale, eo quod omnis vitalis operatio principaliter sit ab ea. Ad quartum dicendum, ut superius dictum est, vel potest dici, quod non est simile, quia actus, ad quem materia est in potentia, primo et principaliter est forma substantialis, et ideo sua potentia potest esse substantia, sed actus, ad quem anima est in potentia, est accidens et ideo animae potentia debet dici accidens. Ad quintum dicendum quod illud, in quo produciens assimilatur sibi productum, est principium principale, non autem immediatum. Ad confirmationem dicendum quod non repugnant alicui in virtute alterius agere ultra suam speciem, quamvis hoc sibi repugnet in virtute propria. Ad sextum nego consequentiam. Ad probationem dico quod illud, quod est perfectius, puta agere principaliter, quod est nobilius quam agere immediate. Ad septimum dicendum quod, quia natura principaliter dicitur de forma substantiali, ideo talis forma est principale principium per

²⁵ Com.31 cap. 2

²⁶ Tex. c. 33

seipsum, et motus et quietis eius in quo est. Ad octavum dicendum quod non tollimus a forma substantiali propriam operationem, quia dicimus quod sit principium principale eius, quamvis non immediatum. Ad dictum Augustini dicendum quod anima praedicatur de suis potentiis praedicatione causali, qua praedicatione quodlibet subiectum praedicari potest de sua propria passione. Isto enim modo dicit Aristoteles in De sensu et sensato²⁷, quod *odor est fumalis evaporatio*. Quia autem Augustinus dicit, *una mens, una vita, una natura*; per hoc vult excludere pluralitatem animarum, quasi diceret, *hae tres potentiae non sunt tres animae sed sunt tres proprietates eiusdem naturalis animae*. Consimiliter enim posset aliquis dicere: *caliditas, siccitas et levitas sunt unus ignis, quia sunt proprietates eiusdem ignis*. Potest etiam dici quod triplex est totum, scilicet totum universale, totum integrale et totum virtuale. Primum totum, scilicet totum vel universale reservatur in qualibet sua parte secundum se sumpta et secundum essentiam et secundum virtutem. Secundum, nec secundum essentiam nec secundum virtutem. Tertio, quamvis non secundum essentiam, tamen secundum virtutem. Et ideo primum praedicatur de qualibet sua parte essentialiter et virtualiter sive causaliter. Secundum, nec essentialiter nec causaliter. Tertium, quamvis non essentialiter, tamen virtualiter, sive causaliter de qualibet sui parte potest praedicari. Ad aliud dicendum quod ille liber non reputatur authenticus, dicitur enim quod ille liber non sit factus per Augustinum, sed per quaedam fratrem ordinis Cisterciensis. Posset tamen ad illam auctoritatem eodem modo responderi, sicut iam dictum est ad auctoritatem Augustini. EST ETIAM adhuc opinio²⁸ medium tenens inter praedicta, quae ponit quod anima respectu illarum operationum, quibus non communicat corpori, est sua potential, sed respectu illarum, quibus communicat corpora, differt realiter a sua potentia. Ratio primi est illa. Si intellectus intelligeret per aliquam qualitatem determinatam et non immediate per seipsum, tunc intellectus non esset oppositorum, nec posset omnia intelligere, consequens est falsum. Quia potentiae rationales sunt ad opposita et 3 De anima dicitur: *Necesse est intellectum, quia omnia intelligit immixtum esse*. Probatur consequential, quia, agens determinatum per aliquam qualitatem, non agit nisi secundum determinatam rationem. Ergo, si anima intelligeret per potentiam, quae est qualitas determinata, tunc non posset in omnia. 2. Praeterea, naturae rationali ex hoc, quod est separata materia, convenit intelligere. Sed anima per suam essentiam est separata a materia, quia secundum substantiam suam non esteducta de materia. Rationes secundae conclusionis obmitto, quia conclusionem [112a] * concedo. SED PRIMA conclusio non valet, quia intellectus possibilis est omnia fieri, 3 De anima et ibidem ait Commentator quod *intellectus possibile est pura potentia in genere intelligibilium*. Intellectus vero agens est omnia facere et est actu ens, ut dicitur ibidem, sed impossibile est quod unum et idem realiter in distinctum sit actu ens in aliquo genere et sit pura potentia in eodem, ergo ipsa anima non est realiter idem omnibus suis potentiis, quarum operationibus non communicat corpori. AD PRIMUM ergo nego consequentiam, potest tamen distinguere propter probationem consequentiae hoc nomen determinatum. Quia, vel dicitur qualitas determinata ex hoc, quod est certi generis et certae speciei, vel ex hoc, quod est contractior sub subiecto et limitat suum subiectum ad certam mensuram respectu aliquorum, quae universalius respiceret huiusmodi subiectum, si tali qualitate non limitaretur. Primo modo intellectus est determinata qualitas, non autem secundo modo, quia intellectus est aequae universalis et aequalis ambitus, sicut essentia; et ideo essentia per intellectum in nullo limitatur respectu obiectorum intelligibilium. Ad secundum dicendum quod, quia secundum essentiam est separata, ideo secundum essentiam convenit sibi intelligere tanquam principio radicali et principali. QUANTUM ad tertium principale, qualiter partes imaginis se habeant ad se invicem, hic essent multa videnda. Videndum enim esset quid sit memoria, quid intelligentia et quid voluntas, quae sunt partes imaginis, et utrum memoria realiter differat ab aliis duabus et quomodo memoria diversimode sumitur tam in parte sensitiva, quam in parte intellectiva. Quia

²⁷ Cap. 2

²⁸ Petrus de Alvernia

tamen de his Magister specialem facit mentionem libro 2 distinctione 24 et distinctione 39, igitur ad praesens haec differens, intendo ea cum suis operationibus specialiter pertractare. Solum modo igitur ad praesens volo tangere, per quem modum reluceat in eis imago sanctissimae trinitatis. Circa quod est advertendum quod, sicut in divinis credimus esse tres personas in una natura divina, quarum secunda gignitur a prima per modum verbi intellectualis, sed tertia procedit a prima et secunda per modum perfecti amoris, sic in anima humana ex specie, quae est in memoria, gignitur verbum actualis notitiae in intelligentia, et ex istis duobus tanquam ex gignente et genito procedit complacentia, sive amor voluntatis, quo proles parenti copulatur scilicet species genita in intellectu, cum specie gignente in memoria. Et haec imago habitibus nobilibus decoratur, sicut per contrarium, habitibus viciosis et ignobilibus deformatur. EX HIS ET ALIIS quae dixi in primo articulo istius quaestionis inferri potest quartum principale, scilicet qualiter intellectus agens pertineat ad imaginem. Quia, si sumitur imago prout habitualiter est in nobis, et per consequens imperfecte, ut posui similitudinem in primo articulo quaestionis de imagine non colorata, sed solis lineamentis disposita, sic intellectus agens non pertinet ad imaginem, quia ut sic nude consistit imago in tribus viribus supradictis, scilicet memoria, intellectu et voluntate. Si autem consideratur imago prout perfecta et decorate, est in nobis actibus et habitibus. Cum tales actus elicere non possumus, nec per consequens habitus acquirere, nisi mediante lumine ipsius intellectus agentis, et mediantibus speciebus per eundem intellectum a phantasmatibus abstractis, patet intellectum agentem necessario pertinere ad imaginem sic acceptam. Non tamen ex hoc intendo concludere, quod intellectus agens per se sit pars imaginis, sed quod sit quaedam virtus, sine qua imago non potest esse-[112b]-se perfecta nisi Deus miraculose ipsam perficeret praeter cursum naturae, animam actibus et habitibus venustando. SED CONTRA hoc videntur esse quidam, qui dicunt intellectum agentem per se, et directe ad imaginem pertinere, quia dicunt intellectum agentem esse memoriam intellectivam, quod probant sic. Illud, cui competit species continere, est ipsa memoria, sed intellectus agens continet virtualiter omnes species, quod patet, quia ipse est omnia facere, ut dicitur 3 De anima. 2. Praeterea, illud, cui competit prolem gignere in intelligentia, est memoria, ut patet per multa dicta Augustini in libro De Trinitate. Sed intellectus agens gignit prolem, suum enim est causare universale, quod est obiectum intellectus, a quo verbum concipitur et intelligentia gignitur. 3. Praeterea, secundum Beatum Augustinum, imago attenditur quantum ad ea, quae sunt nobiliora in ipsa anima. Sed secundum Philosophum 3 De anima, agens est praestantius patiente, ergo etc. SED ILLUD non valet, quia intellectus agens non est illud quod formaliter recipit speciem et subiective ipsam conservat, sed memoria est huiusmodi, ergo etc. AD PRIMUM dicendum quod intellectus continet species effective, memoria autem continet eas subiective et ideo aequivocatur in primo argumento. Ad secundum dicendum quod intellectus agens non proprie gignit universale, sed sequestrat et abstrahit ipsum ab individualibus conditionibus. Et ideo verbi gignitio proprie attribuitur secundae memoriae, quae tamen faecunda non esset, nisi mediante abstractione intellectus agentis speciem recepisset. Nec etiam memoria similitudinem speciei suae, scilicet speciem genitam in intellectu possibili posset producere, nisi intellectus possibilis lumine intellectus agentis ad hoc disponeretur, ergo modo, quo dixi, intellectus agens ad perfectam imaginem est necessario requisitus. Ad tertium dicendum quod eo ipso, quod praestantior est, non requiritur ad imaginem quomodocunque sumptam, sed ad imaginem perfectam. AD ARGUMENTUM principale dicendum quod, quamvis infinitas Dei in creaturis deduci possit demonstrative, tamen, quia infinitas in Deo sumitur per modum abnegationis illius, quod necessario in omni creatura reperitur, puta per abnegationem finis et limitationis, ideo infinitas non potest habere imaginem in aliqua creatura, quia ratio imaginis consistit in quadam assimilatione, propter quod repugnat praedictae abnegationi, quae simpliciter tollit similitudinem. FORTE DICES, cognitio sit per assimilationem, cum igitur infinitas cognoscitur et non trinitas, maior videtur esse assimilatio infinitatis ad nos, quam trinitatis. RESPONDEO quod aliquid dupliciter potest cognosci,

scilicet positive, vel remote, sive negative. Cognitio primi est per assimilationem. Sed cognitio secundi est per dissimilationem. Cognitio autem infiniti est in nobis secundo modo, non autem primo modo, quia cognoscere infinitum est cognoscere rem quae non est finita, sive non habentem finem. Sed illa modica notitia, quam habemus de Sancta Trinitate, praesupposita fide, non est pure negativa, nec est per abnegationem eius quod in omni creatura reperitur, ideo potest eius imago in creatura reperiri. Ad confirmationem dicendum quod duplex est imago, scilicet naturalis et artificialis. Prima est indifferens specie cum illo, cuius est, cum sit eiusdem naturae cum eo, sic Filius est naturalis imago Patris. Secunda autem differt specie ab eo, cuius est imago, cum sit producta in aliena natura, sicut imago Herculis in lapide. De prima igitur imagine debet intelligi verbum Hilarii et non de secunda, et quia imago creata assimilatur imagini artificiali, igitur, etc. [113a]*